

Qui nati sunt bene possunt facere bene. Ceto ed elezione in Alberto il Grande

ANDREA COLLI
(Università degli Studi di Trento)

A) *Topica*, VIII, 3, ed. A. Borgnet 1890, p. 521A

Oportet autem ad huius electionem aliquem esse boni ingenii secundum virtutem naturae rationalis: esse autem boni ingenii est posse ex ingenio eligere verum in quolibet, et fugere falsum: quia qui nati sunt bene, hoc est, quibus bene innatum est, hoc possunt bene facere: quia ingenium dicitur intus genitus, et hic est qui subtiles habet spiritus et expeditas animales operationes, et bonam rationem collativam: nam qui amant verum tamquam naturae suae applicabile, et qui odio habent falsum quod profertur tanquam naturae suae inimicum, facile discernunt per artem juvantem naturam optimum in omnibus.

B) *Super Ethica*, I, l. VII, ed. Coloniensis 1968-1987, p. 33, ll. 7-11.

Et sic secundum duos ordines duo sunt summe bona hominis, quorum tamen unum ordinatur ad alterum, scilicet civilis ad contemplativam, quia omne regimen, quod est per civilem, quaeritur propter quietem, in qua libere possit esse contemplatio.

C) *Super Ethica*, I, l. VIII, p. 40, ll. 54-56/57-61.

Ratio numquam deflectitur a rectitudine nisi alio quodam inclinante, scilicet concupiscentia et ira, quae corrumpit aestimationem prudentiae (...); sed rationale semper est rectum quantum est de se; ergo et ratio, secundum quam opus hominis secundum quod homo. Rectum autem opus est opus boni hominis; ergo idem est opus hominis et boni hominis.

D) *Super Ethica*, I, l. X, p. 53, ll. 20-26.

Ad tertium dicendum, quod ad operationes hominis, in quantum est homo, quae sunt intrisecae, aequaliter se habet nobilis et ignobilis, sed in regimine aliorum non, quia homines dedignantur ignobiles sibi praeferrere et spernunt eos; unde non bene possunt regere ut in pluribus, licet aliquando aliter sit ut raro.

E) *Super Ethica*, II, l. I, p. 91, ll. 40-45.

Ad primum dicendum, quod, sicut dicit Commentator, “ut plurimum” dicit propter quosdam qui habent scientiam per naturales inventiones, sicut supra dixit, quod quidam sunt, qui ex se habent, sicut dicitur de Hippocrate, quod per se didicit philosophiam.

F) *De anima*, III, tr. 3, c. 12, ed. Coloniensis 1968, p. 223, ll. 19-24.

Cum autem haec sit coniunctio intellectus adepti cum homine, oportet scire, quod quidam nobilioris animae existentes quasi omnia quaerenda in philosophia quasi per se ipsos facile intelligunt, sicut dicebatur de Hippocrate Cheo.

G) *De anima*, I, tr. 1, c. 2, p. 5, ll. 13-18.

De quibus omnibus primus philosophus inquirat, licet non inquirat de eis, in quantum sunt haec opera animae et partes animae. Ad quasdam autem proficit, quia dat eis plurima principia, sicut ad moralem, cui dat eligentiam et rationem rectam et prohaeresim et multa alia per quae reguntur civitates in moribus.

H) *Politica*, I, c. 3, ed. A. Borgnet 1891, p. 29A

Aequalitas enim corporis et bona complexio signa sunt animi bene dispositi et ad sapientiam ordinati. (...) Dicit enim Aristoteles libro XVI de Animalibus, quod natura intendit semper facere masculinum, quia semen patris est masculinum: et quod facit foeminam, per occasionem fit, quia scilicet aliquo alterante destituitur propria virtute.

I) *Super Marcum*, XV-43, A. Borgnet 1894, p. 745A-B

“Nobilis”. Laus est a natalibus: talibus enim natalibus dignus fuit, qui summo majestatis Domino in obsequio electus sit. Hic est qui laudatur in Ecclesiis, Proverb. XXXI, 23: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae*, inter quos tenet principatum: quia aliis fugientibus Christo accrevit.